



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum  
Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

19 De temporibus precum horiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](#)

mus; per Dei misericordiam, qui hanc Rem-  
pub. ad fidem perduxit, & in Catholica reli-  
gione conseruauit.

## CAPUT XIX.

DE QTEMPORIBVS PRECVM  
borariarum:

**E**CCLESIA Dei diuersas interdiu &  
noctu horas obseruat, quibus ad Deum  
preces fundit, in memoriam & gratiarum  
actione singularium quorundam beneficio-  
rum, quae temporibus illis accepit. Nam pra-  
ter mysteria passionis, quae singulis horis acci-  
derunt; alia etiam collata sunt beneficia pecu-  
liaria, in quorum memoriam illis horis pre-  
ces dicuntur.

*Memoria  
natiuitatis  
Domini.  
Resurre-  
ctionis.* Nocte celebratur memoria natiuitatis Do-  
mini precibus matutinis: quibus adiunguntur  
laudes: quia Christus in aurora victor ab in-  
feris surrexit. Eodem noctis tempore captus  
est Dominus, ductus ad Annam & Caypham,  
multaque in ædibus horum pontificum usq.  
ad ortum solis perpessus.

Exorto sole, hoc est, hora diei prima, tradi-  
tus est Dominus in manus gentium; à Pōfici-  
bus ad Pilatum adductus ad crucifigēdum.

*Vicarij suis  
nobis reli-  
cti.  
Matt. 16.  
Lucus 22.* Eodem tempore Ioan. 21. post resurrectio-  
nem prouidit Ecclesiæ de summo pastore vi-  
cario suo, cui oues suas, id est uniuersam Ec-  
clesiam regendam cōmisit. Quod beneficium  
quam sit eximium, facile perspicietur; si cōsi-  
deretur, ab hoc capite pendere Ecclesiæ vni-  
tas.

DEB 5

INSTITUTIONVM LIB. I. 87  
tēm; ei⁹que promissam esse fidei constantiam;  
datamque amplissimam potestatem ad salu-  
tem Christianorum.

Hora tertia, post solis exortum, variis mo-  
dis pro nobis illusus est Dominus, flagellatus,  
coronatus, populo propositus, ab eoq. ad cru-  
cēm postulatus. Eodem tempore missus est Spi- *Missionis*  
ritus sanctus Apostolis, Act. 2. Cuius benefi- *Spiritus*  
cij magnitudo ex eo apparet, quod in ei⁹ me- *santi*.  
moriām solemnē festiuitas Pentecostes sit in-  
staurata. Vide meritò hac hora inuocat Eccle-  
sia auxilium Spiritus sancti hymno Ambro-  
fiano: *Nunc sancte nobis spiritus, unum patri cū fi-*  
*lio dignare promptus ingeri, nostro refusus pectori.*

Hora sexta in meridie Christus Dominus,  
perforatis manibus pedibusq. est sublatus in  
crucem. Eadem hora recolitur gentium ad fi- *Vocationis*  
dem Christi conuersio. Quia sub meridiem *gentium,*  
Christus Samaritanam gentilem fœminam *Iouan. 4.*  
ad fidem adduxit: & filium Reguli gentilis à *Act. 9.*  
febri liberauit: B. Paulum doctorem gentium *Act. 10.*  
conuerit: B. Petrum visione ad Cornelium  
Centurionem ethnicum misit. Deniq. in cru-  
ce exaltatus, teste D. Ioanne Damasceno, fa- *Libr. 4.*  
cie ad occidentem conuersa, Ecclesiam gen- *orth. fid.*  
tium respexit. *cap. 13.*

Hora nona, quæ tertia est post meridiem, *Mortis*  
Christus cōsummati⁹ omnibus, in Crucē, pro *Christi*  
salute nostra spiritum emisi⁹, & statim ad in-  
feros descendens, diabolum, ne in nos ſauiret,  
ligauit, viresque eius fregit, ne nobis obesset. *Ligati⁹*

Hora vespertina, sole ad occasum declinan- *diaboli*  
F 4 te.

te, Christilatus est à milite perforatum, vnde sanguis & aqua profluxit: & paulò post sacrū corpus de cruce depositum, est sepulturæ mādatum. Eodem tempore, Christus, post resurrectionem, discipulis potestatem dedit remittendi peccata. Vnde hac hora celebratur memoria Ecclesiæ productæ ex latere Christi, & remissionis peccatorum in Ecclesia relictæ.

Ioan. 20.

*Ecclesiæ  
productæ,  
& remis-  
sionis pec-  
catorum.*

*Sacramē  
ti eucha-  
ristia.  
Incarna-  
tionis Chri-  
sti.  
Dolorum  
B. Virgi-  
niæ.*

Sub noctis initiu, Christus in ultima cœna discipulis, eorum pedibus lotis, sacrum suum Corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini reliquit, Missæque sacrificium instituit. Eodem tempore putatur in utero virginis incarnatus, humanam naturam assumpsisse. Fit etiam hac hora peculiaris memoria dolorum B. Virginis Mariæ; quæ inspectam Christi filij sui passionem, domum reuersa, serio secum magnoque dolore reuoluebat.

## CAPVT XX.

## DE MYSTERIIS ROSARII.

**B**EATVS Dominicvs fratrum Prædicatorum primus institutor, confraternitatem quandam suo tempore instituit, in honorē B. Virginis Mariæ, à diuersis summis Pontificibus cōfirmatam, & variis indulgentiis ac priuilegiis donatā. Quæ in eo maximè posita erat, vt beatissima virgo mater Dei, frequēti repetitione Salutationis Angelicæ honoraretur: sin gulis qualibet hebdomada Rosarium ter recitantibus. Rosarium autem constat oratione Dominica quinques, & Salu-